

quando innotescunt, ut sit sensus, quod Christus prædestinatus est manifestari Filium Dei. Sed sic non proprie prædestinatio accipitur; nam aliquis dicitur proprie prædestinari, secundum quod dirigitur in finem beatitudinis; beatitudo autem Christi non dependet ex nostra cognitione. Et ideo melius dicendum est, quod illa antecessio, quam importat hoc participium prædestinatus, non refertur ad personam secundum se ipsam, sed ratione humanæ naturæ; quia, scilicet, persona illa, etsi ab æterno fuerit Filius Dei, hoc tamen non fuit semper, quod subsistens in natura humana fuerit Filius Dei. Unde Augustinus dicit in libro de Prædestinatione Sanctorum¹: Prædestinatus est Jesus, ut qui futurus erat secundum carnem filius David, esset tamen in virtute Filius Dei. Et est considerandum, quod, licet hoc participium, prædestinatus, importet antecessionem, sicut et hoc participium, factus, aliter tamen et aliter. Nam fieri, pertinet ad ipsam rem, secundum quod in se est; prædestinari autem pertinet ad aliquem, secundum quod est in apprehensione alicujus præordinantis. Id autem quod subest alicui formæ et naturæ secundum rem, potest apprehendi, vel prout est sub forma illa, vel etiam absolute. Et quia absolute non convenit personæ Christi, quod inceperit esse Filius Dei, convenit autem ei, secundum quod intelligitur vel apprehenditur ut in natura humana existens (quia, scilicet, hoc aliquando incepit esse, quod in natura humana existens esset Filius Dei), ideo magis est hæc vera: Christus est prædestinatus Filius Dei, quam ista: Christus est factus Filius Dei.

COMMENTARIUS.

Circa titulum, et ad intelligenda omnia quæ disputanda sunt, observare oportet, dupliciter aliquem posse dici prædestinatum. Primo, præcise non explicando terminum ad quem prædestinatus est. Secundo, addendo et explicando illum terminum, ut si dicas Christum esse prædestinatum, vel esse prædestinatum ut sit Filius Dei naturalis. Unde tria in hæc locutione considerari possunt. Primum est actus Dei prædestinantis. Secundum est res quæ prædestinata dicitur, quæ solet esse objectum prædestinationis, et res ad quam prædestinatur, quæ terminus prædestinationis appellatur; et actus quidem prædestinatio-

¹ Cap. 15, a med., tom. 7.

nis supponit cognitionem objecti et termini prædestinationis quatenus possibile sunt; præcedit autem ea quatenus futura sunt; quia per ipsum actum prædestinationis ad existendum ordinantur. Inter objectum etiam et terminum (si distincta sint) quidam ordo reperitur, nam objectum supponitur termino per modum subjecti, ordinatur autem ad terminum tanquam ad finem et tanquam ad suam perfectionem, aut alio simili modo. In hoc ergo titulo præsentis articuli, D. Thomas priori modo quætionem proponit de prædestinatione Christi præcise, non explicato termino ejus. Et eodem modo illam definit, quanquam obiter in solutione ad secundum, et tertium, nonnihil de termino attingat. Et ex his satis intelligi potest littera totius articuli, quæ per se clara est. De re autem ipsa statim latius disputandum erit.

ARTICULUS II.

Utrum hæc sit falsa: Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei¹.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod hæc sit falsa: Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei. Hoc enim est unusquisque secundum aliquod tempus, quod est prædestinatus esse, eo quod prædestinatio Dei non fallitur. Si ergo Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei, videtur sequi quod sit Filius Dei secundum quod homo. Hoc autem est falsum; ergo et primum.

2. Præterea illud, quod convenit Christo secundum quod homo, convenit cuilibet homini, eo quod ipse est unius speciei cum aliis hominibus. Si ergo Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei, sequeretur quod cuilibet homini hoc conveniat. Hoc autem est falsum; ergo et primum.

3. Præterea, hoc ab æterno prædestinatur, quod est aliquando fendum in tempore. Sed magis hæc est vera: Filius Dei factus est homo, quam ista: Homo factus est Filius Dei; ut supra habitum est². Ergo magis hæc est vera: Christus, secundum quod est Filius Dei, prædestinatus est esse homo, quam e converso:

¹ 3, d. 10, q. 1, art. 1, q. 3; et 4 contra, cap. 9² Quæst. 16, art. 6 et 7.

Christus, secundum quod est homo, est prædestinatus esse Filius Dei.

Sed contra est quod Augustinus dicit in lib. de Prædestin. Sanct.¹: Ipsum Dominum gloriæ, in quantum homo factus est Dei Filius, prædestinatum esse dicimus.

Respondeo dicendum, quod in prædestinatione duo possunt considerari. Unum quidem ex parte ipsius prædestinationis æternæ, et secundum hoc importat antecessionem quamdam respectu ejus quod sub prædestinatione cadit. Alio modo potest considerari secundum effectum temporalem; qui quidem est aliquod gratuitum Dei donum. Dicendum est ergo, quod secundum utrumque istorum attribuitur prædestinatio Christo, ratione solius humanæ naturæ. Nam humana natura non semper fuit Verbo unita; et ei etiam hoc per gratiam est collatum, ut Filio Dei in persona uniretur. Et ideo solum ratione humanæ naturæ prædestinatio competit Christo; unde August. dicit, in lib. de Prædest. Sanct.²: Prædestinata est ista humanæ naturæ tanta et tam celsa et summa subiectio, ut quo attolleretur altius, non haberet. Hoc autem dicimus convenire alicui, secundum quod homo, quod ei convenit ratione humanæ naturæ. Et ideo dicendum est quod Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur: Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei, hæc determinatio, secundum quod homo, potest referri ad actum significatum per participium dupliciter. Uno modo ex parte ejus, quod materialiter cadit sub prædestinatione, et hoc modo est falsa. Est enim sensus, quod prædestinatum sit, ut Christus, secundum quod homo, sit Filius Dei; et in hoc sensu procedit objectio. Alio modo potest referri ad ipsam propriam rationem actus, prout, scilicet, prædestinatio importat in sui ratione antecessionem et effectum gratuitum. Et hoc modo convenit Christo ratione humanæ naturæ, ut dictum est³. Et secundum hoc dicitur prædestinatus, secundum quod homo.

Ad secundum dicendum, quod aliquid potest convenire alicui homini ratione humanæ naturæ dupliciter. Uno modo sic quod humana natura sit causa illius, sicut esse risibile convenit Socrati ratione humanæ naturæ, ex cuius principis causatur. Et hoc modo prædesti-

nari non convenit nec Christo nec alteri homini ratione humanæ naturæ, et in hoc sensu procedit objectio. Alio modo dicitur convenire alicui alicui ratione humanæ naturæ, cujus humana natura est susceptiva, et sic dicimus Christum esse prædestinatum ratione humanæ naturæ; quia prædestinatio refertur ad exaltationem humanæ naturæ in ipso, ut dictum est¹.

Ad tertium dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in lib. de Prædest. Sanctorum², ipsa est illa ineffabiliter facta hominis a Deo Verbo susceptio singularis, ut Filius Dei et hominis simul, et filius hominis propter susceptum hominem, et Filius Dei propter suscipientem Unigenitum Deum veraciter et proprie diceretur. Et ideo, quia illa susceptio sub prædestinatione cadit tanquam gratuita, utrumque potest dici, scilicet, quod et Filius Dei prædestinatus sit esse homo, et filius hominis prædestinatus sit esse Filius Dei. Quia tamen gratia non est facta Filio Dei, ut esset homo, sed potius humanæ naturæ, ut Filio Dei uniretur, magis proprie potest dici, quod Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei, quam quod Christus, secundum quod Filius Dei, sit prædestinatus esse homo.

COMMENTARIUS.

1. Inquit hic D. Thomas terminum hujus prædestinationis, et quætionem intelligit de Filio Dei naturali propriissime et personaliter, eo modo quo hic homo Christus est Filius Dei naturalis per æternam generationem; ita ut sensus sit, an Christus in quantum homo sit prædestinatus fore ipsum Verbum Dei, quem sensum satis explicuit D. Thom. in argumento 1, cum solutione.

2. Respondet autem in corpore, illam locutionem non esse falsam, sed veram: Christus, in quantum homo, est prædestinatus esse Filius Dei, quia hoc convenit illi ratione humanæ naturæ, cui in tempore gratia unionis facta est, quæ ab æterno fuerat prædestinata, et per eam effectum est ut hic homo esset Filius Dei naturalis. Non explicat autem D. Thom. an hæc locutio tantum sit vera cum illo addito, in quantum homo, vel an etiam simpliciter dici possit: Christus est prædestinatus esse Filius Dei; indicat tamen, solum

Cap. 15, in med., tom. 7.

² Cap. 15, post med., tom. 7.³ In corp. art.¹ In corp. art.² Cap. 15, a med., t. 7.

cum illo addito veram esse propositionem illam, dum inquit, solum ratione humanæ naturæ, prædestinationem competere Christo. Sed hoc statim latius disputandum est. Ubi etiam explicabuntur solutiones ad 1 et 3. Solutio vero ad 2 facilis est.

ARTICULUS III.

Utrum prædestinatio Christi sit nostræ prædestinationis exemplar¹

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod prædestinatio Christi non sit exemplar nostræ prædestinationis; exemplar enim præexistit exemplato. Nihil autem præexistit æterno. Cum igitur prædestinatio nostra sit æterna, videtur quod prædestinatio Christi non sit exemplar nostræ prædestinationis.

2. Præterea, exemplar ducit in cognitionem exemplati. Sed non oportuit quod Deus duceretur in cognitionem nostræ prædestinationis ex aliquo alio, cum dicatur Rom. 8: Quos præscivit, hos prædestinavit. Ergo prædestinatio Christi non est exemplar nostræ prædestinationis.

3. Præterea, exemplar est conforme exemplato. Sed alterius rationis videtur esse prædestinatio Christi, quam prædestinatio nostra, quia nos prædestinamur in filios adoptionis; Christus autem est prædestinatus Filius Dei in virtute, ut dicitur Roman. 1. Ergo ejus prædestinatio non est exemplar nostræ prædestinationis.

Sed contra est quod August. dicit in lib. de Præd. Sanct.²: Est præclarissimum lumen prædestinationis et gratiæ ipse Salvator, ipse Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. Dicitur autem lumen prædestinationis et gratiæ, in quantum per ejus prædestinationem et gratiam manifestatur nostra prædestinatio, quod videtur ad rationem exemplaris pertinere. Ergo prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis.

Respondeo dicendum, quod prædestinatio dupliciter potest considerari. Uno modo, secundum ipsum actum prædestinantis; et sic prædestinatio Christi non potest dici exemplar nostræ prædestinationis; uno enim modo et eodem actu æterno prædestinavit Deus nos et Christum. Alio modo potest prædestinatio con-

¹ 3, d. 40, q. 3, art. 3, et Rom. 1, lect. 3, col. , fin.

² Cap. 15, in princ., tom. 7.

siderari secundum illud, ad quod aliquis prædestinatur; quod est prædestinationis terminus et effectus. Et secundum hoc prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis, et hoc dupliciter. Primo quidem quantum ad bonum ad quod prædestinamur. Ipse enim est prædestinatus ad hoc, quod esset Dei Filius naturalis; nos autem prædestinamur ad filiationem adoptionis, quæ est quedam participata similitudo filiationis naturalis. Unde dicitur Roman. 8: Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Alio modo, quantum ad modum consequendi istud bonum, quod est per gratiam, quod quidem in Christo est manifestissimum, quia natura humana in Christo nullis suis præcedentibus meritis est unita Filio Dei. Et de plenitudine gratiæ ejus nos omnes accepimus, ut dicitur Joan. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod illa ratio procedit ex parte illius actus prædestinantis. Et similiter dicendum ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod non est necessarium quod exemplatum exemplari quantum ad omnia conformetur, sed sufficit quod exemplatum aliquantulum imitetur suum exemplar.

COMMENTARIUS.

Affirmat D. Thom. cum August., lib. de Prædest., cap. 15, et de Bono perseverantiæ, cap. ult., cui consentiunt cæteri Theologi, in 3, dist. 40, ubi Albert., dub. ult.; Durand., q. 2; Palud., q. 3; Bonav., dist. 11, art. 1, q. 1; et Alens., 3 par., q. 3, memb. 5; et in superioribus satis declarata est hæc D. Thom. conclusio, disp. 5, sect. 2. Neque hoc loco oportet plura addere, quia res est facilis.

ARTICULUS IV.

Utrum prædestinatio Christi sit causa nostræ prædestinationis¹

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod prædestinatio Christi non sit causa nostræ prædestinationis; æternum enim non habet causam. Sed prædestinatio nostra est æterna. Ergo prædestinatio Christi non est causa nostræ prædestinationis.

2. Præterea, illud, quod dependet ex simplici Dei voluntate, non habet aliam causam nisi Dei voluntatem. Sed prædestinatio nostra

¹ 3, dist. 40, q. 3, art. 3.

DISPUTATIO L,

In quatuor sectiones distributa.

DE MODO LOQUENDI CIRCA PRÆDESTINATIONEM CHRISTI

Propono disputationem hanc sub hoc titulo, quia de prædestinatione Christi quoad rem ipsam nulla mihi superest disputatio, his suppositis quæ in disp. 5 tradita sunt. Unum enim certa fide indubitatum est, scilicet substantialem unionem duarum naturarum, divinæ et humanæ, in una persona Filii Dei, fuisse ab æterno prædestinatam a Deo, ut recte hic D. Th., art. 1, docuit, et colligitur ex Paulo, 1 ad Corint. 2, dicente: Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram; et ideo, ad Ephes. 1, hoc mysterium vocat sacramentum voluntatis Dei, et c. 3 vocat sacramentum absconditum a seculis in Deo. Et ratio clara est, quia prædestinatio, quamvis ad omnes effectus divinæ voluntatis accommodari possit, ex usu tamen Theologorum potissimum esse dicitur in operibus gratiæ et gloriæ; sed hæc unio est maximum opus divinæ gratiæ, quod Deus absoluta et efficaci voluntate ab æterno voluit, ut in tempore fieret; ergo ab æterno fuit hoc opus prædestinatum et præordinatum a Deo. In quo autem signo rationis nostro modo intelligendi præordinatum fuerit, et propter quam præcipue rationem, et quem gradum vel rationem causæ teneat inter alia divina opera, in citato loco fuse explicatum est. Solum ergo superest ut dicamus de variis locutionibus, quibus hæc eadem res explicari potest, vel loquendo de Christo, seu de hoc homine, aut de Verbo, seu divino supposito, aut de humana natura, vel in ordine ad prædestinationem præcise dictam, vel cum relatione ad aliquem certum terminum, de quibus sigillatim dicendum est.

SECTIO I.

An simpliciter verum sit Christum, aut Filium Dei, ab æterno esse prædestinatum.

1. Nonnulli Theologi negant ita nobis esse simpliciter loquendum. Et ratio reddi potest, quia quod non potest absolute dici de Filio Dei, nec de Christo potest simpliciter dici; sed Verbum, vel Filius Dei non potest simpliciter dici prædestinatus, quia hæc vox præ-

ea simplici voluntate Dei dependet. Dicitur enim Ephes. 1: Prædestinati secundum propositum ejus; qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ. Ergo prædestinatio Christi non est causa nostræ prædestinationis.

3. Præterea, remota causa, removetur effectus. Sed remota prædestinatione Christi, non removetur nostra prædestinatio, quia etiamsi Filius Dei non incarnaretur, erat alius modus possibilis nostræ salutis, ut Augustinus dicit, in lib. de Trinitat.¹ Prædestinatio ergo Christi non est causa nostræ prædestinationis.

Sed contra est, quod dicitur Ephes. 1: Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum.

Respondeo dicendum, quod si consideretur prædestinatio secundum ipsum prædestinantis actum, prædestinatio Christi non est causa nostræ prædestinationis, cum uno et eodem actu Deus prædestinaverit ipsum et nos. Si autem consideretur prædestinatio secundum terminum prædestinationis, sic prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis. Sic enim Deus præordinavit nostram salutem ab æterno, prædestinando ut per Jesum Christum compleretur. Sub prædestinatione enim æterna non solum cadit id quod est fiendum in tempore, sed etiam modus et ordo, secundum quem est complendum in tempore.

Ad primum ergo et secundum dicendum, quod rationes illæ procedunt de prædestinatione secundum prædestinantis actum.

Ad tertium dicendum, quod si Christus non fuisset incarnandus, Deus præordinasset homines salvari per aliam causam, sed quia præordinavit incarnationem Christi, simul cum hoc prædestinavit ut esset nostræ salutis causa.

COMMENTARIUS.

Hic articulus etiam est in superioribus explicatus, nam de duplici genere causæ potest hæc quæstio intelligi, finali et meritoria, et de finali diximus in disp. 5, sect. 2, Christum esse causam finalem nostræ prædestinationis, quod ex modo loquendi Scripturæ, Conciliorum, et Patrum ostendimus. De causa autem meritoria, in disp. 41, dum esset sermo de Christi merito, fuse satis disputatum est.

¹ Lib. 13, cap. 40, non procul a princ., tom. 3.